



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. In possessorio iudicio criminis obiectio non retardat principalis causae executionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

mutatum esset in causa, postquam idem nuntius iter arripuit ad nos veniendi: quia tamen non intelleximus, nec intelligere volumus, vt si quid per iudices delegatos factum esset, reuocaretur in irritum auctoritate nostrarum literarum; sed si quid præsumptione vel violentia immutatum est, &c. discretioni vestræ, &c. quatenus si ante receptionem literarum nostrarum, quas nuntius præfati H. super ipsa causa a vobis impetrauit, memoratus episcopus & tu, fili archidiacone, super iam dicta ecclesia sententiam protulistis, eandem, contradictione & appellatione cessante, ratam habeatis & firmam: nec eam obtentu literarum posteriorum reuocare tentetis, ita quidem, quod si contra sententiam ipsam aliquid statuistis, id sublato appellationis remedio, & præfatum H. contra eandem sententiam venire nullatenus permittatis, sed potius sententiam, contradictione & appellatione postposita, faciatis auctoritate nostra inuiolabiliter obseruari. Si vero post susceptionem sequentium literarum sententia lata fuerit, eadem sententia non obstante, in causa iuxta tenorem literarum ipsarum, appellatione postposita, procedatis, dummodo præfatus H. spoliatus fuerit, eadem sententia non obstante, & per violentiam spoliatus illud præstiterit sacramentum.

## CAP. V.

*Idem \* Lexouensi episcopo. Pars capituli; In literis. supra de potestate iudicum.*

Quid si laicus a possessione ecclesie esset eiectus, quam ei nulla ratione possidere liceret?

Super illa quæstione, videlicet cum quis dicit se de possessione violenter esse eiectum, & aduersarius dicit eum non fuisse canonicè institutum, huiusmodi tibi damus responsum: Prius de violenta eiectione, quam de canonica institutione agi debet: quia prædo etiam est secundum rigorem iuris restituendus.

CAP. VI. *Idem eidem in eadem.*

Item cum aliquis dicit se de possessione eiectum, vel aduersarium clam possessionem intrasse, & aduersarius ei crimen obiiciat, vt eum ratione criminis a sua intentione repellat: non occurrit nobis, quod illius abiectione debeat admitti, vel executio principalis causæ propter hoc retar-

dari, quoniam criminaliter aduersus eum agere non potest, cum ipsum constet eius inimicum existere.

CAP. VII. *Idem VVigornienſi epiſcopo.*

Abbas ſancti \* Eadmundi, a quo R. lator præſentium patrimonium ſuum tenere dignoſcitur, milites ſuos & burgenſes ad domum prædicti R. miſit, qui eum a domo & vniuerſa poſſeſſione ſua expellerent, niſi eccleſiam ſuam penitus abiuraret. Quod cum idem R. tali modo coactus feciſſet abbas, prædictam eccleſiam alii conceſſit. Vnde, quia quæ metu & vi facta fuerunt, de ratione iuris & ordine in irritum debent reuocari, fraternitati tuæ, &c. quatenus prædicto R. ſi ita conſtiterit, omnia cum integritate reſtituas.

CAP. VIII.

*Idem Cantuarienſi archiepiſcopo, & VVigornienſi epiſcopo.*

Præcipimus vt N. reſtitui faciatis eccleſiam, non obſtante quantum ad reſtitutionem, ſi poſt eiectionem ei obiicitur, quod filius illius fuit perſonæ, qui in eadem eccleſia proximo miniſtrauit, vel quod ab eo annuam penſionem acceperit.

CAP. IX.

*Idem VVigornienſi epiſcopo, & abbati de ſancto Albano.*

Quia VV. qui violenter dicebatur eccleſiam de N. ingreſſus, deſunctus eſt, vt accepimus, & Nigellus in eadem eccleſia intruſus, volumus & præcipimus, vt ſecundum formam literarum inter ipſum & Patricium iudicetur ratione mediante, ſicut inter eumdem & præfatum VV. ſi videret, iudicaretur.

DE IVRAMENTO CALVMNIÆ.

PARS  
XXIII.

CAP. I.

*Item Honorius II. omnibus epiſcopis orientalibus.*

**I**NHERENTES veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum, diſcentium grauioreſ per ſummum pontificem terminari debere quæſtiones, noſtrorum fratrum conſilio diligen-

Kkkk iij